

Christo in altera vita, edisseruit Theologorum coryphæus Augustinus Enarrat. in Psalm. XLVIII. Sermon. I. num. 10. ubi de Evangelico Epulone in ignem, & Mendico in Sinum Abraham devecto ait: *Sic desideravit ille guttam de digito, quomodo ille micam de mensa Divitis. Sed illius labor finitus est, & illius vita finita est. Labor hujus in æternum: Vita illius in æternum. Non heic habemus vitam, qui forte heic laboramus in terra; & non sic erimus postea. ERIT enim VITA NOSTRA CHRISTUS IN ÆTERNUM.*

Sed numquid unus ille Evangelicus Pauper, numquid Martyres tantum ad beatam in Cœlis vitam deducuntur? Nunc sciscitari juvat ab ipso Augustino. Is Sermon. XIV. olim 110. de Tempor. pauperem superbientem, atque hæc dicentem nobis exhibet: *Nostrium genus est, cui debetur Regnum Cœlorum; non illi generi, qui induuntur purpura & hasso, & epulantur. Talis enim erat ille, ante cujus jamaum jacebat pauper ulcerosus &c. Tum eloquentissimus Antistes tumorem istius castigat, non negando, quin ferantur in Cœlum pauperes, sed pauperes spiritu, quales etiam possunt esse divites. Quid instaris, ait, & non imitaris? Ego, inquit, pauper levor in Sinum Abrahæ. Si superbis contra eos, qui habent pecuniam, & negas eos ad Regnum Cœlorum pertinere; quum in eis inveniatum humilitas, quæ in te non invenitur: non times, ne tibi, quum mortuus fueris, dicat Abrahæ: Recede a me, quia blasphemasti me? Et heic habes nullum discrimen statui inter Sinum Abrahæ, & Regnum Cœlorum; pariterque Augustini tempore communem fuisse sententiam, non differri ad consummationem Sæculi Beatitudinem, præeunte Lazari exemplo. Eos quoque infantes, qui post susceptum Baptismum e vivis abeunt, beatifica Dei Visione donari, scribit Augustinus Lib. I. cap. XIX. de Peccator. merit. quum ait: *Verumtamen si percepto Baptismo de hac vita emigraverit, soluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo Lumine Veritatis, quod incommutabiliter manens in æternum, JUSTIFICATOS PRÆSENTIA CREATORIS ILLUMINAT.* Locum supra nobis objecit Burnetus ex Libris Augustini de Civit. Dei petitam, ubi secreta Animarum Receptacula memorantur. Sed quam inaniter nudis ille vocibus in suæ opinionis præsidium utatur, hæcenus palam factum est. Ex non obscuris, sed clarissimis sancti illius Viri, ex Opere ipso depromptis, poterat Britannus Scriptor edificare, quæ fuerit Augustini sententia de Justorum Animabus corporeo nexu solatis: Sub nomine Mille Annorum scribit ille Lib. XX. cap. 9. de Civit. Dei, significari a Johanne Apostolo in Apocalypsi tempus Ecclesiæ ad finem usque Mundi. Tum inquit, *piorum Animas mortuorum non separari ab Ecclesia, quæ etiam nunc est Regnum Christi.* Addit infra: *Quamvis ergo cum suis Corporibus nondum, jam tamen eorum ANIMÆ REGNANT CUM CHRISTO, dum isti Mille Anni decurrunt.* Unde in hoc eodem Libro Apocal. XIV. 13. & alibi legitur: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo & jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis; nam opera illorum sequuntur**